



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione.
Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. IV. Mala pœnæ seu naturæ possunt esse effectus prædestinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73708)

ingenitum bonum v.g. datur propter gratiā, ut per eam facilius homo moveatur ad fidē; quia ingenitū perspicacia multū conducit, accedente gratiā, ad capiendam credibilitatem articulorum fidei, atque adeo ad fidem suscipiendam. Sic ille.

Nec obstat: quod bonum ingenium sit ali-
quando effectus reprobationis. Nam (inquit
Felix sup.) eū hoc dependeat à voluntate
Dei, eadem res, quæ respectu unius est effe-
ctus prædestinationis, respectu alterius potest
esse effectus reprobationis. Consimiliter re-
spondet Smiling sup. ad sequens argumentum:
Defectus ingenii, bonæ indolis, bonæ com-
plexionis, & aliorum donorum naturalium po-
test esse effectus prædestinationis: ergo bona
hiis malis opposita non possunt esse effectus
prædestinationis; quia oppositorum oppositæ
(vel saltem diversæ) sunt causæ.

Respondet, inquam, Theodorus, de agentibus
naturalibus seu necessariis verum esse, quod
oppositorum oppositæ vel diversæ sunt causæ
per se loquendo: libera verò agentia ex eadem
causa oppositis effectus, & ex oppositis causis
eundem effectum elicere possunt; ut patet in
homine, qui sua libertate utitur ad bonum &
malum, & eodem gladio ad homicidium ju-
stum & iniustum, & jam bona valetudine, jam
mala ad virtutis exercitium; nam perfecti non
de bonis tantum, sed malis etiam pœnæ Deo
gratias agunt. Quid ergo mirum, si omnipotens
Deus, qui omnia quæcumque voluit fecit,
possit de malis bene facere, & ex donis natura-
libus, eorumque defectu, & ex aliis oppositis
eundem effectum prædestinationis elicere?
Hæc ille. Adde ego: & effectum reprobationis?
Quod enim uni cooperatur ad salutem,
alteri deseruit ad perpetuam damnationem;
quia hic pro sua libertate re bonā malè utitur;
ille autem re bonā, imò & malā benè utitur.
Hinc pono sequentem Conclusionem, in
ordine

CONCLUSIO IV.

Mala pœnæ seu naturæ possunt esse
effectus prædestinationis. Et
ipsa quoque permissio peccati.

PER mala pœnæ seu naturæ intelligimus do-
lores, labores, misérias &c. quibus homines
afficiuntur; quæ mala (inquit Felix sup. dif-
finitio, tit. 5. n. 1.) cum summo bono non opponan-
tur, possunt esse à Deo directè volita & ordi-
nata in superiorem finem. Vide dicta Sect. 1.
Conclus. 7. quæ ait, Deum providere mala pœ-
næ. Tunc autem sunt effectus prædestinatio-
nis, quando Deus illorum est auctor ex inten-
tione eliciendi de malis illis aliquod bonum
pertinens ad salutem electorum. Est commu-
nis sententia (inquit Smiling sup. n. 254.) & ratio
colligitur ex dictis; nam juxta Augustinum,
omnia beneficia, quibus certissimè salvantur
electi, sunt prædestinationis effectus, & illa

mala, quatenus ex illa intentione illata à Deo,
sunt hujusmodi; quia licet per se non sint bo-
na, atque adeo nec beneficia; per accidens ta-
men, ratione boni annexi, ob quod intendun-
tur, ad ordinem bonorum & beneficiorum
reducuntur. Sic ille.

Quem sequitur Felix sup. n. 2. Probatur (in-
quit) ad Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro*
Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam
pro illo patiamini. Et Job 1. v. 21. *Dominus dedit,*
Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum
est. Ubi de necesse filiorum loquebatur, quod latè
probat Damascenus lib. 2. Fidei cap. 29. Ratio
est; nam hæc mala sunt in genere moris bona;
quippe materia virtutis & meriti: ergo possunt
assumi à Deo, ut media in finem gloriæ: imò
assumuntur in prædestinatis, cum omnia coo-
pererentur eis in bonum. Ita præfatus Auctor. Et
sanè tormenta Martyrum quis audeat negare,
assumpta fuisse à Deo in finem gloriæ? Cur
ergo non erunt effectus prædestinationis?

Quia, reponit quispiam, indecens est Deo,
ut ordinet hæc mala ad talem finem: nam tunc
diceretur, Deum illum hominem creasse, ut in
flumine v.g. suffocaretur, aut suspenderetur &c.
& quod Tyrannos creaverit, ut homines in-
terficerent. Respondet Felix sup. n. 3. Deum
non creasse hominem ut suffocaretur in flumi-
ne; sed ut gloriam consequeretur, ad quod or-
dinavit illam mortem, ut conditionem ad glo-
riam consequendam. Urget aliquis: Petrus v.g.
ordinatus fuit ad determinatum gradum gloriæ
ante prævisionem peccati: ergo ante prævisio-
nem pœnæ; nam pœna est propter peccatum;
ergo nullum malum pœnæ potest esse effectus
prædestinationis. Respondet idem Auctor eod.
n. negando Consequentiam; nam, inquit, præ-
videns Deus peccatum, voluit in prædestinato
aliquas pœnas & misérias, quibus benè utens,
& patienter sufferens ipse prædestinatus ad-
pisceretur gradum gloriæ determinatum, ad
quem erat electus. Sic ille. Igitur mala natu-
ralia, & mala pœnæ hujus vitæ, quibus electi
satisfaciunt, aut satisfatiuntur pro peccatis suis,
vel aliorum electorum, aut ex quibus aliis ex-
ercendæ fortitudinis, patientiæ seu alterius vir-
tutis occasionem habent, sunt effectus præ-
destinationis.

Dixi consilio: *Pœna hujus vitæ*: nam (inquit
Theod. sup. n. 255.) pœnæ purgatorii, quas
plerique electi sustinent post hanc vitam,
priusquam ad beatitudinem pertingant, non
sunt effectus prædestinationis, sed communis
providentiæ supernaturalis. Ita Smiling. Quem se-
quitur Felix sup. n. 4. Ratio est; nam licet sit
pœnæ removeant prohibens consecutionem
gloriæ, nempe debitum satisfaciendi Deo, cum
quo sancti decedunt, & ita pœnæ illæ numerari
possint inter media salutis; tamen quia hoc non
habent sub ratione beneficii, & ex intentione
gloriæ, sit ut non sint effectus prædestinationis.

Quod non sint beneficium, neque ex inten-
tione gloriæ, probatur: nam ad communem
providentiam spectat punire delicta sive in hac,

Ostenditur
has poenas
non esse be-
neficiū Dei.

Felix.
Smifing.

64.
Obiectio.

Disparitas
inter has
poenas &
mala natu-
ralia.

65.
Declaratur
ex ratione.

Smif.

66.
Commuta-
tio poenae æ-
ternæ in
temporalem
habet ratio-
nē iustitiæ.

67.

sive in alia vita; & ita; etiāsi peccatores non essent prædestinati, punirentur, juxta mensuram suorum delictorum, non ex motivo beneficii, sed satisfaciendi iustitiæ vindicativæ. Unde nemo ait, animabus sanctorum fieri gratiam, quod in purgatorio torqueantur; bene tamen quod vivorum precibus, & Ecclesiæ suffragiis à poenis istis liberentur. Ex quo patet, talia suffragia pro defunctis esse effectus prædestinationis. Hucusque Felix ex Theod. sup. ubi hæc vide latius deducta.

Dices: etiam mala naturalia, & poenæ hujus vitæ per se pertinere ad communem providentiam, ita ut ex iis malis pleraque essent, etiāsi homo non esset prædestinatus ad vitam æternam, eoque sine secluso conducerent ad dectorem universi, qui ex bonorum & malorum oppositione nascuntur; vel etiam ad satisfaciendum iustitiæ divinæ punitivæ, quæ etiam in hac vita sæpè punit delicta; & tamen, quia modò hæc mala ordinantur à Deo ad salutem electorum, dicimus, ea esse effectus prædestinationis. Respondet Smif. sup. n. 256. disparitatem esse, quod licet neutra poena per se spectet ad ordinem prædestinationis; tamen poena hujus vitæ ratione status præsentis sit per modum gratiæ & beneficii, ordinabilis ad finem prædestinationis seu ad salutem electorum, non sic poena purgatorii.

Ratio est: quia vel poenæ præsentis voluntariè suscipiuntur ab electis ob salutem suam, vel aliorum, & sic possunt esse meritoria; vel saltem ipsis non contradicentibus inferuntur à Deo, sive ut afflictionibus aptentur ad bonum, & quasi compellantur Deo se subdere, sive ad purgandum illos in hac vita, ne incurrant postmodum incomparabiliter majores purgatorii poenas, quod maximi sanè beneficii loco habendum est: at purgatorii poenæ nec possunt esse meritoria, nec status, cum animæ illis poenis subiectæ jam sint in termino; nec possunt esse media ad alias majores poenas evadendas, vel ad aliud salutis beneficium obtinendum: quia licet tollant debitum satisfaciendi, ut antè dixi, id tollunt non per modum condonationis, vel gratiosæ commutationis poenæ majoris in minorem, sed per modum condignæ punitiois, quæ gratia dici non potest, v.g. non fit gratia reo, flagellationem merito, quod flagelletur, licet per hoc tollatur debitum poenæ, quam merebatur.

Unde etiam illa commutatio poenæ æternæ in temporalem alterius vitæ, quam dicunt D. D. fieri, quando remittitur culpa mortalis, non tam gratiæ, quam iustitiæ formam habet: quia cum non congruat divinæ iustitiæ, æternaliter punire peccatum mortale, dimissa culpâ; ut tamen aliquantulum puniatur, & injuria Deo per culpam illata punitio quadam compensetur, eadem iustitia divina inclinat ad temporalem poenam inferendam, juxta mensuram Divinæ sapientiæ lege præfinitam. Usque adhuc Theod. Nec habeo, quod addam.

Progredior ergo ad secundam partem Conclusionis, quæ & ipsa communis est, dicente

Smifing. sup. n. 258. Communis sententia est, permissionem peccati in electis posse esse prædestinationis effectum, & de facto esse, quando occasione peccati electus proficit ad aliquod majus bonum, puta ad opera poenitentiae, ad humilitatem, fervorem charitatis, circumspicionem in agendis, vel simile bonum salutare. Et hoc modo semper electis prodelle ad bonum, quod subinde permittantur labi in peccatū, resistibile est juxta Aug. l. D. Tho. & alios in illud ad Rom. 8. Diligentibus Deum &c. Ubi Glossa inquit Etiam peccata, quatenus sunt materia crescenda virtutis humilitatis &c. D. Augustinus sup. audivitis ex lib. de Corrupt. & grat. c. 9. quod solus sufficit ex sanctis Patribus.

Cum autem quod dicunt de peccatis, non possit intelligi de formali malitia, ut patet ex dictis Sect. 1. Conclus. 6. quæ ait, peccata non esse effectus providentiæ divinæ, sequitur manifestè, posse & verò debere intelligi de permissione peccati, quæ cum in se bona sit, nihil vetat, quod minus Deus eam velit tanquam aliquid remotè sive per accidens conduceret ad æternam salutem electorum, quod est effectus prædestinationis, juxta descriptionem D. Aug. de qua in præcedentibus. Nam est beneficium, id est, effectus Dei, directè voluntate intentione gratiæ & gloriæ.

Felix sup. diffie. 6. n. 4. docet communem sententiam, eamque n. 5. probat ex ratione, dicens: Permissio peccati habet omnes requiritum, ut sit effectus prædestinationis: ergo est talis effectus. Antecedens probatur: nam primò est gratuitum beneficium; ad hoc enim non requiritur, quod in sua entitate sit aliquid supererogabile. Non requiritur, quod sit aliquid positivum; nam impedire malum est beneficium, ut sit beneficium, quod sit effectus Dei rectè volutus, quod habet permissio; quia licet voluntas Dei est adæquata causa dandi omnium efficaciarum, ita & non dandi illud, in quo permissio consistit. Secundò: permissio potest procedere ex intentione gratiæ & gloriæ; nam Deus non permetteret in prædestinato peccatum, nisi ob bonum spirituale ipsius, ut docent Patres prædicti. Terriò: ex ipsis Patribus constat posse per permissionem infallibiliter conduceret ad salutem prædestinati, mediante humilitate & aliorum virtutibus: ergo permissio peccati habet omnia requisita, ut sit effectus prædestinationis. Ita præfatus Auctor.

Respondent Adversarii: Patres vulgari modo esse locutos, juxta phrasim Scripturæ, quæ prædictum futurum, ex occasione peccati occurrat, exprimit tanquam causam finalem; cum tamen tale bonum non sit de primaria intentione Dei, sed propter alium finem communis providentiæ. Colligitur ex D. Aug. 11. de Genes. ad lit. c. 22. ubi ad hanc questionem: Quare creavit Deus dæmonem, quem malum futurum præsciebat? Respondet: Non quia ipsum primò condidit, vel initio malum condidit; sed quia cum fieret, eum ad hac propriam voluntate malum facerem, ut bonis noceret, creavit eum ad hoc, ut de illa bonis prædictis

prædest. Quasi dicat (inquiunt Adversarii) non ea intentione ipsam condidit, & permisit labi in peccatum, ut bonis prodesset tentans eos, sed eum sciret, bonis adversarium fore, decrevit tentationes illius bonis esse profuturas, quod est secundariæ intentionis. Ergo prius Deus vidit iridiam diaboli erga sanctos, & deinde decrevit per aliam voluntatem, quod sancti proficerent ex ejus tentatione.

Sed contrā (inquit Felix sup. n. 4. in fine) quia secundum D. Augustinum verba Scripturæ proprie sunt intelligenda, quando nullum sequitur absurdum, quod in præsentī non sequitur. Rursus; Augustinus ex professo interpretatur ex Scriptura, permittum esse peccatum Semei ex intentione humilitatis David ergo de illo bono, ut de causa finali loquitur. Sic ille. Hæc sunt verba D. Aug. de Grat. & libe. arbitr. c. 20. *Nec causa tacita est, cur ei Dominus isto modo faceret. Maledicere David, hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum misit, vel dimiserit: ut videat, inquit, Dominus humilitatem meam & retribuatur mihi bona pro maledicto ejus in die isto. Ecce quomodo probatur, Deum mihi cordibus, etiam malorum, ad laudem atque adjumentum bonorum. Sic usus est Iudæ, tradente Christum: sic usus est Iudæis, crucifigentibus Christum. Et quanta inde bona præstiterit populus credatur.*

Hecule bona ista prædestinatorum sequuntur (inquit Franc. sup. n. 6.) ex permissione à Deo volita: ergo in ipsa voluntate permittendi includitur intentio horum bonorum. Consequentia patet: quia aliis bona illa sequerentur à eadem respectu illius voluntatis, quod dici non debet. Antecedens probatur ex illo ad Rom. 9. v. 22. *Suffragit (Deus) in multa patientia vasa iræ quæ ad iram, ut ostenderet divitiis gloria sua in vasa misericordie, quæ preparavit in gloriam.* Ergo manifestatio gratiæ Dei in prædestinatis, est secuta ex primariâ Dei intentione, & permissione peccati reproborum. Sic ille.

Respondent Adversarii; hanc ostensionem seu manifestationem gratiæ Dei erga prædestinatos non consistere in aliquo fructu gratiæ & gloriæ, proveniente in ipsis ex tali permissione, ut primò volita; sed consistere dumtaxat in hoc, ut prædestinati cognoscant, & laudent Dei liberalitatem erga eos; quia illis non negavit auxilia efficiencia, quæ negavit reprobis. Contrā (inquit Felix sup.) nam hæc laus & cognitio est meritoria gratiæ & gloriæ; ergo si permissio est volita propter hanc laudem; etiam erit volita propter tale meritum; & sicut ex eo, quod permittit Deus peccatum reprobi eo fine, ut prædestinatus cognoscat misericordiam Dei, non sequitur, quod velit peccatum ipsum; ita ex eo, quod permittat peccatum eo fine, ut prædestinatus cognoscat misericordiam Dei, & illam meritorie laudet, & ferventius doleat de peccatis, non sequitur, quod Deus velit peccatum ipsum; & sicut Deus potest velle permittere peccatum, ut prædestinatus laudet misericordiam Dei; ita poterit velle ipsam permissionem; ut prædestinatus à peccato resurgat, & poeniteat ipsum.

Respondent Adversarii; diversam esse rationem. Nam poenitentia seu correctio necessariò supponit peccatum, tanquam materiam necessariam, circa quam versatur, & idem volens correctionem seu poenitentiam, antequam videat futurum peccatum, debet necessariò velle peccatum fore: quocirca ne asseramus, Deum velle peccatum, necesse est dicamus, prius vidisse peccatum, ut deinde statuere vellet poenitentiam & correctionem illius. At verò, cum Deus permittit peccatum, ut ostendat divitiis gratiæ suæ prædestinatis, non ostendit illas ex peccatis reproborum, nec illa sunt materia, circa quam versatur ostensio divitiarum Dei; sed ex eo ostendit Deus divitiis suas & liberalitatem erga prædestinatos, quod cum posset ipsis negare congrua auxilia, quæ reprobis negavit, & ita eos posset permittere labi in peccatum, non negavit, nec permisit. Ex negatione ergo auxilii proximè ipsis ostendit divitiis & liberalitatem erga ipsos, & ita potest ostensio hæc esse primariæ intentionis, absque eo, quod Deus velit peccatum; non autem poenitentia aut correctio peccati, quæ circa ipsum peccatum, tanquam circa materiam necessariam versatur. Sic illi.

Sed contrā (inquit Felix sup.) nisi prædestinatus videat peccata reproborum, non potest cognoscere fuisse illis denegatam gratiam efficiencia, & sibi concessam: ergo necessarium est cognoscere peccatum, ut prædestinati laudent Dei misericordiam erga eos; ergo peccata ipsa sunt materia necessaria ad hanc cognitionem. Respondent Adversarii: licet prædestinati in hac vita non nisi ex eventu peccati possint cognoscere liberalitatem Dei erga seipsos, quod ipsis concesserit eam peculiarem gratiam, quam reprobis negavit: tamen hoc est per accidens ratione statui, & ita notitia hoc modo, & gratiarum actio inde orta in hac vitâ non fuit primariæ intentionis, ut argumentum probat. At verò cum in alia vita Beatis Deus ostendat hanc peculiarem gratiam, non ex eventu peccati, sed ipsâ naturâ gratiæ, & congruitate cum arbitrio, quam scientiâ intuitivâ Beatis revelabit, potuit hæc notitia, & gratiarum actio inde orta cadere sub primariam intentionem Dei, cum non supponat per se & suapte naturâ peccatum ipsum ullo modo, tanquam materiam vel occasionem.

Sed contrā (inquit Franc. sup.) quia finis intentus à Deo dicto loco Pauli est cognitio illa, quæ à prædestinatis habetur in hac vitâ, ut colligitur ex antecedentibus verbis, dictis Pharaoni: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in universâ terrâ.* Ergo ut Deus ostendat in hac vitâ prædestinatis divitiis misericordiæ suæ, necessarium est, ut illis ostendat peccata reproborum. Sic ille. Vide Sect. I. Conclus. dicta 6.

Maneat ergo permissionem peccati posse esse effectum prædeterminationis. Quamquam enim secundum se considerata non sit donum gratiæ, præcedens ex meritis Christi; sed subratio gratiæ; undè nec Christus mortuus est, ut prædestinatis gratia negaretur; attamen ut subest divinæ

74.
Replica Adversarii.

75.
Impugnatur & Felice.

Responsio Adversarii.

76.
Contra eam arguitur Felix.

78.
Permissio peccati ut subest divini intentioni potest esse beneficium gratiæ.

Smiling.

divinæ intentioni eliciendi ex illâ aliquod bonum salutare electi, est quoddam beneficium gratiæ. Nam (inquit Smil. sup. n. 259.) ita potenter & sapienter dirigit Deus viam hominis electi, ut, quod proximè est subtractio gratiæ alicuius, remotè sit occasio obtinendæ alterius gratiæ. Quod in ipso peccato manifestum est; quia ita est per se privatio gratiæ, ut per divinam potentiam possit esse occasio alterius gratiæ comparandæ; quamquam in hoc sit discrimen, quod peccatum, cum sit intrinsecè malum, non possit etiam hoc sine esse volitum à Deo, sed permissum solummodo; permissio verò ipsa, cum non sit mala, possit esse volita eo sine. Hæc ille.

78.

Adeoquus potest cadere sub meritis Christi.

Igitur permissio peccati quatenus ordinatur à Deo, sicut potest ordinari, in bonum prædestinati, est donum gratuitum conducens ad consecutionem gloriæ ipsius, & ita optimè potest cadere sub meritis Christi. Unde (inquit Felix sup. n. 8.) reduci potest ad unum ex illis tribus effectibus prædestinationis, ad vocationem, quatenus, occasione sumptâ ex peccato, excitatur homo, ut humilior fiat, & ferventiùs operetur: & cum per hoc novam gratiam, & novum jus ad gloriam acquirat, potest etiam permissio reduci ad justificationem, & glorificationem. Si inferas: ergo licebit petere à Deo permissionem proprii peccati. Pater; nam nobis licet petere, quod Christus meruit.

Quare non liceat petere permissionem proprii peccati.
Felix.

Responder Felix ibidem, negando sequelam: nam (inquit) nequit esse in homine peccatum, quin propria voluntate fiat; & idè quando homo desiderat permissionem proprii peccati, necesse est, quod proprium peccatum desideret, quod est malum, etiam si sit occasio majoris boni, ut docet Paulus ad Rom. 3. v. 8. *Et non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio iusta est.* Benè tamen velle possumus permissionem peccati alterius; nam hoc non est illud efficere; sed est non impedire, quod licet ex iustâ causâ. Igitur hoc argumentum Adversariorum solum est.

79.

An permissio peccati ut sit effectus prædestinationis, debeat esse præfinita.

D. Damaſc.

Præterea argumentantur & dicunt: ut permissio peccati esset effectus prædestinationis, deberet, saltè mediante poenitentia, esse præfinita; quia immediatè, ut non conducit ad finem prædestinationis intentum; ita nec præfinita potest ex intentione talis finis: at non est permissio præfinita, mediante poenitentia; aliàs & ipsa poenitentia esset præfinita, quod dici non potest; tum quia poenitentia secundariam, non primariam Dei voluntatem terminat, juxta Damaſc. 2. de fide cap. 29. ergo non voluntatem præfinitam; tum quia, cum poenitentia essentialiter supponat peccatum, si illa esset præfinita, & hoc esset præfinitum, & sic Deus veller peccatum, & volendo illud antecedenter & prædefinitivè necessitaret voluntatem electi ad illud committendum, quæ sunt absurda. Planè absurda sunt; sed quod illa sequantur ex nostrâ Conclusionè, quis credat? Nunquid quia Deus vult antecedenter & prædefinitivè

opus bonum, idèrèd necessitatur voluntas electi ad illud operandum? Et ubi scriptum est, omnem effectum prædestinationis, debere esse decretum voluntate præfinitæ? Sufficit (inquit Smil. sup.) esse decretum voluntate extantem, nempe quando habet rationem mediantem, & non finis. Sic autem, secundum ipsum, se habet permissio peccati simpliciter loquendo.

Dicit: *Simpliciter loquendo*: quia secundum quid posset dici præfinita, scilicet (ut ipse explicat n. 596. in fine) respectu mediorum & occasionum, per quæ ipsa mandabitur executioni; ita ut priùs absolute voluerit Deus permittere peccatum, volendo subtrahere gratiam efficacem ad illud vitandum; deinde voluntate ponere vel permittere media vel occasiones, ad peccandum requisitas, ratione cuius voluntas dicitur homines inducere in tentationem. Sic ille. Ubi etiam admittit poenitentiam electorum posse esse præfinitam respectu voluntatis dandi gratiam poenitendi, secus ante permissum & præscientiam peccati. Itaque (inquit hic Auctor) præfinito peccato voluit Deus absolute & efficaciter dare poenitentiam, & ob hanc voluntatem, voluit deinde dare gratiam poenitendi; & sic non est necesse propter aliquam præfinitionem poenitentia etiam præfinitum esse peccatum, aut permissionem peccati. Ita Theod.

At verò Felix sup. n. 9. cum sibi obijceret: Permissio peccati non potest esse effectus prædestinationis, nisi ut volita propter poenitentiam, ut finem primò volitum; sed hoc est impossibile; nam sequeretur, Deum velle ipsam peccatum, quod est absurdum. Sequela probatur; nam intentio efficax finis virtualiter involvit volitionem medii, sine quo medio consequi non potest; sed poenitentia nequit esse sine peccato: ergo teneretur Deus velle peccatum. Ad hanc, inquam, objectionem responder præfinitum Auctor: peccatum non esse medium ad poenitentiam, & iussit, Deum velle permissionem, ex qua scit infallibiliter futurum esse peccatum. Censen hanc legitimam esse consequentiam: Medicus vult medicinam; ergo etiam vult morbum futurum sit, parat morbo illi convenientem medicinam: sic Deus non vult peccatum, sed, supposito peccato, & eo præfinito per decretum permissionis, pro illo parat medicinam, scilicet poenitentiam, & occasione eius confert auxilia gratiæ ad salutem magis promerendam, quam si non fuisset peccatum.

Sed contrà, instant Adversarii: si mulier liceret, se non posse audire Sacrum absque infamia bili alterius luxuriâ; audiendo Missam peccata daret scandalo activo, & diceretur non solum permissivè, sed positivè velle peccatum alterius: ergo similiter Deus, si veller poenitentiam, nequit esse sine peccato, diceretur non solum permissivè, sed directè velle peccatum. Responderet Felix sup. Mulierem illam non peccare, nam solum permissivè se habet; peccatum enim

non sequitur ex vi auditionis Missæ, sed ex prava voluntate alterius, idque liberè, quia posset non sequi, est infallibiliter sequatur. Ergo consimiliter, cum peccatum non sequatur ex vi penitentia, sed ei præsupponatur, non valet dicere, qui vult penitentiam, vult etiam peccatum. Alioqui, qui post peccatum commissum peniteret, vellent peccatum, cum tamen, quantum in se est, nolit illud esse.

Sed hic nondum finis. Penitentia, inquit Adversarii, est punitio peccati: ergo non potest esse finis permissionis; quia absolute majus bonum est integritas absque peccato, quam sola peccati reparatio: unde malè ageret Medicus, qui optaret aut permitteret infirmitatem alicujus eo solum, ut restitueret salutem animam, cum absolute melius fuisset caruisse ægritudine. Respondet Felix sup. num. 10. concedendo totum. Sed (inquit) Deus non vult sic penitentiam; sed ut habet adjunctam humilitatem, ostensionem misericordiae Dei, majorem fervorem, quæ sunt bona excellentiora, quam erant illa, quæ præcesserant peccatum; prudenter enim Medicus ægritudinem amici optaret, si sciret firmiorem salutem ei restituendam, quam antea habebat; & ita ob hoc prudenter volunt in brachiis, vel tibiis orificia vel emanationes, vulgò *Fuentes*, ut salus firmior sit. Sic ille.

Contrà: majus malum est peccatum, quam sit bonum penitentia cum omnibus adjunctis, cum peccatum habeat infinitam malitiam: ergo non poterit Deus velle penitentiam, quæ necessarii requirit peccatum, quod est majus malum. Respondet Felix sup. & benè, neg. Antecedens: nam, inquit, nec malitia peccati, neque injuria est infinita, ut dixi tract. de Peccatis cap. 1. diff. 6. Ubi num. 2. allegat pro se Scotum 3. dist. 19. §. ad primum principale, & alibi.

Quia res non est hujus loci, tantum describo verba Scoti dicto loco n. 13. Ad secundum, cum dicitur, meritum Christi est finitum, peccatum est infinitum; ergo non potuit meritorie auferre peccati reatum. Dico; quod est Christi passio, & meritum ipsius totum sit formaliter finitum; quia tamen conjunct per gratiam & gloriam objecto infinito, ideo potuit delere peccati reatum, sive peccatum avertens a bono infinito. Et cum dicit, quod non; quia peccatum illud erat infinitum, si intelligis quod erat malum formaliter infinitum intensivè, falsum est: tunc enim oporteret ponere summum malum, & Deum Manicheorum.

Et cum probas, quod tantum est peccatum, quantum est ille, in quem fit; si ly Tantum, & Quantum, referantur ad rationes formales utriusque in se, falsum est. Tamen secundum terminum, à quo avertit peccatum, sortitur quamdam denominationem extrinsecam, ut sicut quadam denominatione extrinseca actus beatus Michaelis dicitur infinitus, quia conjungit termino ad quem infinito, in se formaliter tamen actus est finitus: sic peccatum mortale, quia avertit à termino à quo infinito, sortitur quamdam denominationem extrinsecam. Gravius enim peccatum

Tonus II.

est in Deum, quam in alium, & in Regem terrenum, quam in militem suum; nunquam tamen potest esse, quod sit formaliter infinitum malum. Hactenus Doctor Subtilis.

Igitur infinitas peccati non obstat, quin penitentia cum aliis adjunctis possit esse tantum bonum, quantum malum est peccatum. Dico (inquit Scotus sup.) probabiliter opinando, quod tanto amore intensivè potest aliquis sanctus ferri in summum bonum diligendo, quantà inordinatione intensivè avertetur, & quantum unum abduxit à termino à quo, tantum aliud conjungit ei. Et sanè, supposito, quod permissio peccati sit licita Deo, ut omnes admittere debent, nonne melius est homini, ut eam Deus ordinet ad bonum salutare, quam quod non ita ordinet? In illa ergo ordinatione nulla potest ostendi inconvenientia, si non ostendatur in permissione peccati.

Ostenditur, inquit; quia qui intendit medium, debet intendere finem; sed permissio est medium ad peccatum; ergo, qui vult permissionem, convincitur velle ipsum peccatum. Verum enimvero hoc argumentum non facit specialiter contra nostram Conclusionem; sed contra communem sententiam, quæ dicit, Deum posse velle permissionem peccati, ad eam ab omnibus solvendum est. Quare dico, intentionem medii non esse intentionem ejusdemque finis, sed alicujus, jam autem Deus permittens peccatum non intendit peccatum, sed alium finem, scilicet bonum, quod ex tali permissione sequitur. Igitur hæc difficultas communis est.

Porro specialiter videtur facere contra nostram doctrinam, quod habet Scotus 3. dist. 19. §. In ista questione, n. 6. Incarnatio, inquit, Christi non fuit occasionaliter prævisa, sed sicut finis immediate videbatur à Deo ab æterno, ita Christus in natura humana, cum sit propinquior fini, ceteris prius prædestinabatur, loquendo de his, quæ prædestinantur. Tunc iste fuit ordo in prævisione divina: primò enim Deus intellexit se sub ratione summi boni in secundo signo intellexit omnes alias creaturas: in tertio prædestinavit hos ad gloriam & gratiam, & circa alios habuit actum negativum, non prædestinando: in quarto prævidit illos casuros in Adam: in quinto præordinavit sive providit de remedio, quomodo redimerentur per passionem Filii, ita quod Christus in carne, sicut & omnes electi, prius prævidebatur & prædestinabatur ad gratiam & gloriam, quam prævidetur passio Christi, ut medicina contra lapsum; sicut Medicus prius vult sanitatem hominis, quam ordinat de medicina ad sanandum.

Ergo, secundum Scotum, passio Christi Domini non est decreta ante prævisionem lapsus; quia est medicina, & hæc debet præsupponere morbum; sed penitentia est medicina peccati: ergo nequit esse volita ante peccatum. Respondet Felix sup. n. 11. Scotum solum velle, hoc esse de facto; quia ita clamant Scriptura & Patres; non tamen negat, posse Deum decernere prius medicinam quam morbum; sicut Rex mittit Medicos & medicinas ad medendum militibus, si fortè vulnerentur. Sic ille.

Sed instant Adversarii: medicina non est

87.

Penitentia cum aliis virtutibus adjunctis potest tantum esse bonum, quantum malum est peccatum.

88.

An Deus possit velle permissionem peccati.

Probat, quod sic.

89.

Incarnatio non fuit occasionaliter prævisa. Scotus.

Ordo in prævisione divina.

90.

Passio Christi non est decreta ante prævisionem lapsus.

91.

*Instantia
Adversari-
orum.*

medium utile, nisi mediâ applicatione ad ægrotum: ergo nequit Rex vel Medicus velle absolute medicinam, nisi præsupposito absolute morbo; nam in exemplo adducto Rex non vult medicinam absolute, sed possibilem & conditionatam, sicut morbus & vulneratio militis solum est possibile. Respondet Felix sup. concedendo, medicinam non esse in re exhibita utilem, nisi applicetur, & ita requirere morbum existentem: at verò (inquit) in intentione cognoscitur à Deo ut utilis, antequam prævideatur peccatum, & ad hoc sufficit, ut cognoscatur ut possibile, & quod Deus velit illud permittere. Patet in Rege humano, qui non solum vult & mittit medicinam possibilem, sed existentem, solum pro morbo possibili, & conditionatè cognito. Ita Francil.

92.
*Potest Deus
preparare
penitentiam
pro peccato
possibili.*

Quidni ergo & Deus possit præparare medicinam, scilicet penitentiam pro peccato possibili, & conditionatè cognito. Et si hoc possit, quid obstat, quin absolute velit penitentiam, & eo sine velit absolute permittere peccatum? Nam permissio bona est, ut supra diximus, & eâ cognitâ, jam cognoscitur peccatum infallibiliter futurum: penitentia quoque bona est & utilis ad salutem electorum; ergo & voluntas penitentiz. Indubiè, inquit, si supponat peccatum, quia ad destructionem ejus tendit; si illud non supponat, est mala; quia tendit ad ejus positionem, ut postea destruat.

93.
*Penitentia
non tendit
ad positionem
peccati.*

Respondet Felix sup. n. 12. negando, penitentiam tendere ad positionem peccati: nam (inquit) solum ad illius permissionem tendit; nam, positâ illâ, cognoscitur Deus ponendum esse infallibiliter peccatum. Sed enim, urget aliquis; permissio peccati idè est effectus prædestinationis, quia homo resurgit humilior; sed ex peccato, & non ex permissione homo resurgit humilior; ergo non permissio, sed ipsum peccatum erit effectus prædestinationis.

94.
*Ex permis-
sione pecca-
ti resurgit
quis cau-
tior.*
Felix.

Respondet Felix sup. negando Minorem; nam (inquit) ex permissione præcisè resurgit quis cautior; nam cognoscitur ita fragilem esse naturâ humanam, ut, solâ permissione positâ, quis ex fragilitate cadat. Sic ille. Deinde: quâvis peccatum esset causa proxima, permissio tamen est remota; quare autem peccatum non sit effectus, jam sup. dictum est. Sic etiam peccatum est causa proxima, sive materia circâ quam penitentia; non enim homo penitet de permissione peccati, quæ bona est, sed de solo peccato commisso: hoc tamen non obstat, quin permissio sit effectus, quia est conditio necessaria ad peccatum; si enim Deus non permitteret, homo non peccaret; atque adeò licet non sit causa proxima penitentiz salutaris, est tamen causa remota, sive occasio, ex qua, mediante peccato, profluit effectus, conducens ad salutem æternam prædestinati, quod sufficit, ut permissio peccati sit effectus prædestinationis, sive penitentia sit de primaria intentione, sive secundaria; causa finalis propriè dicta, an latè tantum dicta, de quo infra dabitur iterum locus disputandi, ubi de causa reprobationis.

95.

Ex hoc solvitur sequens objectio: impossi-

bile est videre passionem Martyris, quia videtur actio Tyranni, cum talis actio sit causa per se passionis, & sit relativa; ergo etiam impossibile est, quod Deus velit penitentiam, quæ videat peccatum. Concedo totum. Ergo permissio peccati non est effectus prædestinationis, negatur Consequentia; nam sufficit, ut jam dixi, quod, prævisio peccato, Deus ordinet penitentiam, per quam electus certissime salvetur. Aliter respondet Felix supra quod, cum dicitur passio non dependeat essentialiter ab hac numero actione, potest Deus velle passionem, & postea deernere actionem, à qua proveniat; sic similiter potest prius velle penitentiam, & postea permittere peccatum. Sic ille. Tu diligenter considera; an id non sit intelligendum de permissione hujus determinati peccati. Quomodo enim potest velle penitentiam, nisi velit, saltem in consilio, permittere obiectum ejus essentialiter? Et per consequens permittere peccatum saltem aliquod in consilio? Nam penitentia essentialiter est dolor de peccato; ergo, nisi cognoscat peccatum, saltem possibile, imò futurum, non videtur posse intendere, id est, efficaciter & absolute velle penitentiam.

Cæterum ex jam dictis patet, quod permissio peccati unius hominis possit esse, & sæpè sit effectus prædestinationis alterius hominis, v. g. permissio peccati Tyranni effectus prædestinationis Martyris. Sed dubium esse potest (inquit) Felix sup. n. 13.) an permissio peccati reprobatorum sit effectus prædestinationis ejusque prædestinati? Et quid putatis ipsum ad hoc dubium respondisse? Dico (inquit) quod, in communi loquendo, potest esse, quatenus ex peccatis reprobatorum relucet misericordia Dei in omnibus prædestinatis; tamen loquendo in specialiter, non requiritur, quod permissio cujuslibet peccati reprobatorum sit effectus prædestinationis ejusque prædestinati in particulari; nam non ex omni permissione prædestinatus resurgit cautior: imò neque omnis permissio peccati proprii est effectus prædestinationis, ut patet de permissione peccati venialis, cum quo prædestinatus decedit.

Aliquando tamen aliquæ permissiones peccatorum in reprobis sunt effectus prædestinationis alicujus prædestinati, ut permissio peccati in Tyrannis est effectus prædestinationis Martyris; imò (inquit) præfatus Auctor) permissio alicujus peccati reprobi est effectus prædestinationis omnium prædestinatorum, ut permissio peccati crucifigentium Christum Dominum, ut patet ex illo Rom. 11. v. u. Illorum delicta salus est Gentibus. Illud pro sine addo; quod hoc dictum est de permissione peccati, quæ solum per accidens prodest electis ad salutem, etiam majori jure dici posse de circumstantiis, quæ quidem peccata non sunt, præbent tamen occasionem homini labendi; nimirum, quod permissio illarum, vel etiam procuratio earum possit esse effectus prædestinationis, ut notat Smiling. sup. num. 234. Quia (inquit) hæc permissio semper includit, quod Deus permittat vel procuret illas circumstantias, cum

cum quibus homo peccabit: est ergo effectus prædestinationis, quemadmodum permissio peccati, tunc nimirum, quando ex tali peccato, vel occasione peccandi per accidens sequitur majus bonum ad salutem electorum.

Hoc pacto effectus prædestinationis David fuit occasio videndi mulierem, cum qua adulterium commisit; & effectus prædestinationis Petri fuit occasio prævæ societatis, per quam Christum negavit, ut indicant Patres. Item fuit effectus prædestinationis Martyrum, quod viverent tempore persecutionis; & effectus prædestinationis aliquorum, quod nati fuerint ex parentibus infidelibus, qui eos propter fidem apud Tyrannos accusarunt, & suâ malitiâ causæ per accidens fuerunt, ut filii coronam Martyrii consequerentur: ac tandem si eadant electi per occasiones peccandi, siue eis resistent, effectus potest in bonum salutis eorum, effectus effectus prædestinationis ipsorum. Hactenus Theod. Restant aliquæ difficultates circa bona opera moralia, pro quibus enodandis insituitur

CONCLUSIO V.

Bona opera moralia possunt esse effectus prædestinationis.

Quod bona opera moralia, quibus electi vel ad justificationem disponuntur, vel jam justificati augmentum gratiæ & gloriæ promerentur, id est, opera moralia supernaturalia in quantum procedunt à gratia sunt veri effectus prædestinationis eorum, manifestum est ex hactenus dictis. Quis enim nesciat, ea esse Dei beneficia, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur? Quis ambigere possit, ea esse dona gratiæ? Est autem prædestinatio, ut jam non semel diximus, præparatio beneficiorum quibus certissimè salvantur electi. De his ergo nolo hic disputare. Et si quæras, sub quo effectu generali ex enumeratis ab Apostolo Rom. 8. comprehendantur? Patet, quod sub justificatione, vel etiam glorificatione, quatenus sunt merita vel congrua primæ gratiæ justificantis, vel condigna augmenti gratiæ & gloriæ.

De quibus igitur operibus bonis hic controvertitur? de operibus naturalibus, itemque de supernaturalibus, in quantum procedunt à libero arbitrio. Sunt namque, qui negent esse effectus: sed oppositum docet Smil. sup. n. 250. & 252. In primis ergo dicit, ut opus moraliter bonum reducatur ad ordinem gratiæ Christi, sique adeo in electis prædestinationis effectus, scilicet, quod sit ex speciali providentia & intentione Dei perducendi hominem in vitam æternam, siue aliâ procedat ex speciali auxilio, siue ex generali concursu Dei, & naturalibus arbitrii creati viribus: unde cum omne electorum opus moraliter bonum probabile sit tali providentia & intentione speciali esse divinitus prænotum, existimamus, omne hujusmodi opus esse in electis effectum suæ prædestinati-

onis. Sic ille.

Et colligitur ex Scoto 1. dist. 41. §. Potest aliter dici, n. 12. ibi: Deus volens huic (creaturæ beatificabili) aliquid istius ordinis, prius vult huic creaturæ beatificabili finem, & quasi posterius vult sibi alia, quæ sunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem; sed gratia, fides, merita, & bonus usus liberi arbitrii omnia ad istum finem sunt ordinata &c. Ubi Doctor noster expressè distinguit bonum usum liberi arbitrii à gratia & meritis; ergo loquitur de bono usu naturali, quando scilicet ad istum finem specialiter est ordinatus à Deo. Et reverà, si sufficiat illa specialis providentia, ut alia media naturalia, de quibus hactenus egimus, pertineant ad ordinem gratiæ per Christum, sintque in electis prædestinationis effectus; cur non item ea sufficiat in operibus moraliter bonis?

Potest omne opus moraliter bonum electis illâ speciali intentione & providentiâ esse præfinitum, probat Smil. sup. n. 250. quia vel est meritum vitæ æternæ, si fiat ab homine iusto, & ex motivo charitatis vel spei; vel, si saltem ex fide fiat ab homine peccatore, est meritum de congruo auxilii ad poenitendum, juxta illud Tobie 4. v. 11. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Ecce. 3. v. 33. Eleemosyna restituit peccatū. Vel, etiam si non procedat à charitate, fide, vel auxilio speciali, saltem relinquit habituale inclinationem ad bonum, vel impedit aliquod peccatum, vel relinquit memoriam sui, ex qua postmodum electus excitetur ad gratitudinem erga Deum, aut ad iterandum illud opus; atque ita verisimile est contingere, ut semper aliquo ex his modis opera moraliter bona electis cooperentur in bonum salutis, & in eum finem sint illis præfinita à Deo. Ita Theodorus.

Quæ si vera sunt (ut putamus) non potest esse rationabile dubium, quin opera meritoria, etiam quæ procedunt ex libero arbitrio, sint effectus prædestinationis. Si enim opera moraliter bona merè naturalia, id est, quæ non procedunt ex gratiæ efficacia, sed ex solis viribus liberi arbitrii, sint tales effectus, quidni & illa opera, quæ simul procedunt ex efficacia gratiæ, & viribus liberi arbitrii, quidni, inquam, sint tales effectus, in quantum proveniunt ex viribus liberi arbitrii? Ideo, inquit, quia efficax gratia tollit libertatem arbitrii. Contra, ergo malè Trid. sess. 6. cap. 32. definit bonorum operum merita, & præmia: Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Et Argus. cap. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Gratia scilicet adjuvans liberum arbitrium hominis lapsi.

101.
Colligitur
ex Scoto.

102.
Probatur ex
ratione.
Smiling.

103.
Opera me-
ritoria, quæ
procedunt
ex libero
arbitrio,
sunt effectus
prædesti-

Concil.
Trid.